

Concilio damnatum, non quod a nuptiis, vel carnis esu, propter cultum Dei perfectiorem, abstinendum esse diceret, sed quod absolute nuptias, carnisque esum, ut res illicitas Christianis (ut diximus) repudiaret. Nam idem Concilium, Can. 9. et 21. Virginitatem et continentiam recipit et laudat.

At (inquit Kemnitius) « Eustathius (Sozomeno teste) dabat operam vitæ severæ, et in Concilio Gangrensi professus est, se non contumaciæ gratia, sed ob cultum Dei abstinentiam illam introduxisse ».

Respondeo : Ita est, sed idem Sozomenus addit, Eustathium ob amorem vitæ severioris in absurdas opiniones incidisse. Itaque non abstinentiam ob cultum Dei, sed absurdas illas opiniones Concilium damnavit.

Quod vero Kemnitius dicit, nondum eo tempore interdictum fuisse carniæ esum in diebus jejuniorum, merum est ipsius figmentum. Eustathius enim non arguitur aut damnatur, quod carnes comedi noluerit in diebus jejuniorum, sed quod absolute carniæ esum illicitum esse dixerit : interdictum autem illo tempore fuisse Christianis carniæ esum, cum jejunia celebranda erant, ac potissimum in Quadragesima perspicuum est ex historia Spiridionis, quam supra tractavimus. Spiridion enim Eustathii æqualis fuit, aut etiam paulo antiquior, et tamen eo tempore scimus ab homine Christiano repudiatas fuisse carnes in Quadragesima, eo nomine quod Christianus esset. Vide eundem Sozomenum lib. 1. cap. 11.

Sexto profert Calvinus lib. iv. Institution. cap. 12. § 19. locum unum S. Augustini, ex lib. xxx. contra Faustum, ubi dicit, ab Augustino refelli delirium Manichæorum, apud quos in magno honore erant, qui abstinebant a certis cibis, quasi abstinentia illa sit opus Deo gratum.

Respondeo : S. Augustinus non refellit Manichæos, quod in magno honore haberent a carnibus, abstinentes; sed quod putarent, carnes natura sua esse immundas. Id quod probat, quoniam etiamsi apud Manichæos soli sacerdotes a carnibus abstinerent, tamen plebi carniæ esus, non tam ut licitus concedebatur, quam ut illicitus indulgebatur : « Auditoribus, inquit, vestris, quos tamquam distinctos a genere sacerdotum dixistis, secundum veniam hæc edenda conceditis. Neque enim conceditur secundum veniam, nisi peccatum ». Et infra : « Hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab escis hujusmodi tem-

peratis, quod non significatione, sed natura malæ et immundæ sint ». Adde quod Faustus Manichæus non solum dicit, perfectos apud Manichæos a carnibus abstinere, quem locum notavit Calvinus, sed etiam dicit, apud Catholicos in magno pretio haberi, qui carnibus semper abstineant. Sic enim loquitur cap. 3. « De vobis vero quid dicam, id est, de Christianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique vero quadrupede omni, alii etiam cuncto animali penitus abstinent, fertque ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia, et summa cum veneratione suscipiæ solum non Deos existimat ». Quod testimonium S. Augustinus non reprobatur, sed approbat, ut perspicuum est ex quinto capite.

CAPUT XIV.

De origine et institutione jejunii quadragesimalis.

Quinta restat pars disputationis de jejunio, quæ est de variis temporibus, in quibus ab Ecclesia sunt instituta jejunia. Ac primum de jejunio Quadragesimæ, quod est omnium maximum et celeberrimum, tria tractanda sunt, de origine et institutione, de rationibus institutionis, et de varietate.

Quod attinet ad primum, tres falsæ opiniones de origine Quadragesimæ refellendæ sunt. Prima est Hæreticorum omnium hujus temporis, qui docent, Quadragesimam post tempora apostolorum ex quadam superstitione et perversa imitatione Christi paulatim irrepsisse. Ita Joannes Calvinus lib. iv. Institut. cap. 12. § 20. Magdeburgenses cent. 1. lib. ii. cap. 10. col. 577. Kemnitius in 4. part. exam. et alii. Probat autem id Kemnitius in 4. part. examin. pag. 581. ex testimonio Irenæi, apud Eusebium lib. v. cap. 24. Sic enim loquitur Irenæus : « Quidam unum diem ante Pascha jejulant, quidam duos, alii plures, alii quadraginta, diurnas et nocturnas horas supputantes pro die. Et hæc diversitas non jam nostra ætate primum cœpit, sed longe ante, illorum scilicet tempore, qui ante nos fuerunt, qui ut conjectura assequi licet, non accurate consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata auctoritate in posterum aliquid stauissent, observarunt. »

Ex hoc loco quinque memorabilia Kemnitius colligi jubet. Primo, tempore virorum

Apostolicorum fuisse diversas et varias observationes, non certas et stas leges de jejuniis. Secundo, jejunium Quadragesimæ fuisse vulgarem consuetudinem, non mandatum, aut traditionem Apostolicam. Tertio, consuetudinem illam introductam privata auctoritate a simplicibus hominibus, non ex totius Ecclesiæ, aut Apostolorum institutione, et præscripto. Quarto fuisse, qui in posterum tempus aliquid statuerint de forma jejunii, sed (ut dictum est) ex privata sententia et devotione. Quinto, viros Apostolicos ejusmodi consuetudinem non accurate observasse, propterea quod scirent ex quadam simplicitate a privatis hominibus introductam.

Sed hoc argumentum Kemnitii duplici ratione refutari potest. Primum enim si verba ipsa Irenæi diligenter excutiantur, facile apparebit, eum auctorem non loqui de institutione jejunii Quadragesimalis, sed solum de forma jejunandi, id est, quamdiu oporteat jejunantes manere impastos, unone die, an duobus, an pluribus. Sed verba Græca adscribamus ex correctissima Roberti Stephani editione. Οὐδὲ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἶδους αὐτοῦ τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν ἀντοῦς νηστεύειν· οἱ δὲ, δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ, τσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Hæc verba si reddantur simpliciter, ita sonabunt latine. « Neque enim solum de die (Paschæ videlicet) est dubitatio, sed etiam de specie ipsius jejunii. Quidam enim existimant unam diem oportere se jejunare, quidam duas, quidam etiam plures. Quidam quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem ». Hoc est, alii continent jejunium, nihil omnino comedentes unum diem, alii duos, alii plures, tres videlicet, aut quatuor, aut quinque, aut sex, integram nimirum hebdomadam. Alii quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem, jejunii videlicet. Manent enim sine cibo quadraginta horis diurnis et nocturnis, quæ tametsi fere duos dies continent, tamen ipsi pro uno die accipiunt.

Hanc esse veram explicationem, probamus primo ex ipsis verbis Græcis, quæ non possunt simpliciter reddi, quam a nobis reddita sint.

Secundo, quia non dicit Irenæus, dubitationem esse de jejunio Quadragesimæ, sed de specie et forma jejunii. Proinde non erat in controversia apud viros Apostolicos, utrum

servandum esse jejunium quadraginta dierum ante Pascha; id enim pro comperto omnes habebant : sed quomodo servandum esset.

Tertio, confirmatur a simili. Scribit enim Irenæus non solum de die Paschæ, sed etiam de forma jejunii controversiam esse. At de die Paschæ non erat quæstio, utrum dies Paschæ celebrandus esset, sed utrum dies Paschæ esse posset solum dies dominicus, an quicumque dies hebdomadæ. Sic igitur de jejunio paschali, sive Quadragesimali non erat quæstio, an servandum esset, sed qua forma servandum esset.

Quarto incredibile videtur tantam fuisse aliquando varietatem jejunii paschalis, ut aliqui putarent, jejunium illud constare unico die tantum, aut duobus, alii quadraginta diebus : et incredibilius est jejunium illud quod Quadragesimæ nomen semper Non igitur de diebus Quadragesimæ, sed tempore vel duobus, habuit, potuisse definiri uno die, continuandi jejunium sine omni cibo, loquitur Irenæus.

Quinto, quoniam revera semper fuit apud veteres varia consuetudo continuandi jejunium. Scribit enim Philo in lib. de vita theorica supplicum, viros illos adeo amasse jejunium, ut aliqui triduum, aliqui sex dies sine cibo transmitterent. Sanctus Ephiphanius in compendiaria doctrina scribit, suo tempore fuisse adhuc in Ecclesia ejusmodi varietatem, ut aliqui ad solis occasum jejunium solverent, alii biduum, aut triduum, aut integram hebdomadam sine cibo traderent. Similia referunt S. Hieronymus in epist. ad Marcellam, de laudibus Asellæ, et S. Augustinus in lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 33. neque desunt etiam hodie, præsertim apud Græcos, qui ad initium et finem Quadragesimæ tres dies, aut quadraginta horas impasti transigant. Cujus formæ jejunandi habentur exempla in divinis litteris, Esther. iv. Tob. iii. et Actor. ix. Hanc autem formam jejunandi sine ullo cibo plures dies, libenter admittimus, semper liberæ fuisse consuetudinis, neque unquam ab Apostolis, aut aliis Ecclesiæ præsulibus imperatam. Ex quo sequitur, ut quinque illa memorabilia Kemnitii ad rem nihil pertineant.

Quamvis autem id quod jam diximus, verissimum esse credamus : tamen quoniam tum Ruffinus, tum Christophorus, tum alii locum hunc Irenæi ad Quadragesimæ varietatem retulerunt, adferemus alteram rationem, cur Kemnitii argumentum nihil

probet. Nam quod sequitur in testimonio Irenæi, non significat, consuetudinem quadragesimalis jejunii introductam fuisse a privatis hominibus, et ex simplicitate quadam, et ideo a viris Apostolicis non fuisse accurate servatam: sed significat, aliquos ex antiquis non accurate servasse consuetudinem, ut erat tradita a majoribus et Apostolicis viris, et ex hac negligentia ortam esse varietatem, quæ ipsius tempore cernebatur. Sic enim vertit Ruffinus: « Cœpit hæc diversitas ab illis (ut opinor) qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidere ».

Sed Kemnitius objicit versionem Christophoroni, qui ita vertit, ut ipse paulo ante citavit. At nos Ruffinum, ut multo antiquiorem et doctiorem, et qui multa vertit in Latinum sermonem ex Græco, Christophorono anteponendum censemus. Præsertim cum verba Græca extant, et de utraque versione a peritis judicium fieri possit. Hæc enim sunt verba Irenæi, quæ proxime sequuntur post ea, quæ paulo ante descripsimus: καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούμενων οὐ νῦν ἐστὶ ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολλὸν πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς ὡς εἰκὸς κρατούντων τὴν καθ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεπονηκότων. Quæ ad verbum sic reddi possunt: « et talis quidem diversitas observantium, non nunc nostro tempore facta est; sed et multo antea tempore majorum nostrorum, qui non accurate (ut par erat) tenentes simplicem, et propriam consuetudinem, eam ad posteros transmiserunt ».

Ex quo non sequitur quod Kemnitius dicit, jejunium Quadragesimæ ex simplicitate quadam et privata quorundam auctoritate introductum; sed tantum id sequitur, aliquos ex veteribus non servasse consuetudinem Apostolicam, ita simpliciter ac proprie ut conservanda erat, et inde natam esse apud aliquos magnam in forma jejunii diversitatem.

Sed his omissis, altera sententia est Joannis Cassiani, qui Collatione 21. cap. 30. docet, in Ecclesia primitiva, per totum annum æquale fuisse jejunium; deinde frigescere devotione, cum inciperent apud multos negligi jejunia, placuisse omnibus sacerdotibus, ut Quadragesimæ jejunium indiceretur, ac fixa lege stabiliretur.

Sed hæc sententia falso nititur fundamento. Tametsi enim credibile sit Apostolos, alios-

que nonnullos, sicut in commune vivebant, et continentiam perpetuam colebant, ita etiam vel per totum annum, vel certe frequentissime jejunasse: tamen neque certum, neque verisimile est omnes Christianos Apostolicis temporibus per totum annum operam dedisse jejuniis; quemadmodum nulla ratione affirmari debet, omnes ubique Christianos sub Apostolis vitam cœlibem, et communem duxisse. Nam certe apud Corinthios, aliasque civitates Græcorum (ut ex epistolis beati Pauli perspicuum est) Christiani permulti liberis operam dabant, et res suas proprias retinebant, et per unam Sabbati collectæ apud eos fiebant. Item I Cor. vii. admonet conjugatos Apostolus, ut ad tempus intermittant opus conjugale, ut vacent orationi et jejunio. Ex quo sequitur, ut non per totum annum jejunare soliti fuerint. Et I ad Corinth. viii. monet, ut comedant quicquid in macello venit; ex quo intelligimus, eos carnibus vesci solitos, a quibus tamen abstinent jejunantes.

Quid quod Aetor. xiii. Apostoli Paulus, et Barnabas ordinantur in opus Evangelii cum jejunio, et oratione, et manu impositione. Ubi sine dubio fit mentio specialis jejunii tempore ordinationis; proinde non semper in prima illa Ecclesia jejunabatur. Ipse etiam beatus Paulus II Corinth. xi. commemorat inter alios suos labores, jejunia multa. Et de sancto Joanne Apostolo supra citavimus, illum cum quodam adolescente crebra duxisse jejunia; et cum Evangelium scribere vellet, solemne indixisse jejunium. Quæ sunt argumenta clarissima, non fuisse apud Christianos omnes, Apostolicis temporibus, per totum annum æquale jejunium.

Adde quod nusquam invenitur lex illa, quam Cassianus dicit, ab omnibus simul Christi sacerdotibus fuisse latam de jejunio Quadragesimæ. Primum enim generale Concilium omnium sacerdotum constat fuisse Nicæanum primum: in eo autem Concilio fit mentio Quadragesimæ tamquam rei notissimæ, et multo antea institutæ.

Tertio sententia est aliorum, qui institutionem Quadragesimæ referunt ad Telesphorum Papam. Id enim aliquos sensisse refert Eusebius in Chronico. Sed forte inde nata est opinio illa, quod Telesphorus legatur clericis mandasse, ut septem integras hebdomadas a carnibus abstinerent, cum laici septem hebdomadas non integras abstineant. Alioqui enim fieri non potest, ut

Telesphorus jejunium Quadragesimæ instituerit, cum ante ipsius tempora vixerit S. Ignatius, qui Quadragesimæ apertissime meminit.

Vera igitur sententia est, Quadragesimale jejunium ab Apostolis Domini institutum, atque Ecclesiæ universæ traditum fuisse. Id enim primum constat ex canone Apostolorum 68. Deinde, ex testimonio expresso duorum insignium Patrum Hieronymi et Leonis. Sic enim scribit S. Hieronymus in epistola ad Marcellam adversus Montanum, « Nos unam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus ».

Sanctus vero Leo serm. 6. de Quadragesima ita loquitur: « Quod ergo dilectissimi in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitus est, et devotius exequendum, ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur »: Et serm. 9. de Quadragesima loquens: « A sanctis, inquit, Apostolis, per doctrinam Spiritus sancti majora sunt instituta jejunia, ut per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus ».

Tertio probatur ex regula illa notissima beati Augustini, in epist. 118. ad Januarium, et lib. iv. de Baptismo, cap. 24. quæ habet, illa omnia sine dubio ex Apostolica traditione descendere, quæ in universa Ecclesia observantur, et in nullo Ecclesiæ concilio instituta inveniuntur. Ejusmodi esse Quadragesimale jejunium, nullo negotio demonstrari potest. Nam non esse institutum in ullo Concilio perspicuum est tum ex eo, quod nusquam exstat tale concilium, in quo primum Quadragesima instituta esse dicatur; tum ex eo, quod invenitur mentio Quadragesimæ in auctoribus, qui omnia Concilia præcesserunt.

Observatum vero jejunium hoc in Ecclesia universa semper fuisse, manifeste patet ex Conciliis et Patribus diversorum temporum et locorum. Fit enim mentio Quadragesimæ, ut rei generalis et antiquissimæ, in Concilio I. Nicæano, can. 5. in Concilio Laodicæno, can. 49. et seq. Et in canonibus, quæ dicuntur sextæ Synodi, can. 29. quæ sunt Concilia in Oriente celebrata. Item in Conciliis occidentalibus Aurelianensi I. can. 11. Aurelianensi IV. can. 2. Agathensi, can. 8. Antisiodorensi, can. 2. Toletano 8. can. 9. et Bracarenensi II. can. 9.

Porro, nullus est veterum Patrum, qui

Quadragesimæ non meminerit. Ex Græcis. S. Ignatius in epist. ad Philippenses. S. Irenæus in epist. ad Victorem, apud Eusebium, lib. v. Hist. cap. 24. Origenes homil. 10. in Leviticum. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 1. et 4. et 18. Epiphanius in compendiariorum doctrina. Athanasius in epist. ad Orthodoxos de persecutione. Basilii orat. 2. de jejunio. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum. Gregorius Nyssenus, oratione de amandis pauperibus. Joannes Chrysostomus, homil. 4. in Genesim, et homil. 18. et 73. ad populum Antiochenum. Theophilus Alexandrinus, in epistolis tribus Paschalibus. Denique Dorotheus abbas, in lib. de vita recte ac pie instituenda, doctrina 15. ubi etiam affirmat, Quadragesimam ab Apostolis institutam. Vide hunc auctorem in tom. 3. bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ex latinis, Tertullianus in lib. de jejunio, cap. 2. dicit, Jejunium quoddam esse in Ecclesia lege præscriptum. Deinde cap. 13. illud ipsum vocat jejunium paschale. Ex quo intelligimus, eum de Quadragesima loqui, id est, de jejunio, quod ante Pascha solemnius celebratur. Sed verbis disertis Quadragesimæ faciunt mentionem, ex latinis, Ambrosius lib. de Noe, et arca, cap. 13. et serm. 23. et seq. Hieronymus in cap. LVIII. Isaïæ in cap. III. Jonæ, in cap. IX. Math. in epist. ad Letam, de institutione filiae, et alibi. Augustinus in epist. 119. cap. 15. Et in Psalm. cx. et in sermonibus plurimis. Paulinus in epist. 5. ad Amandum. Maximus in sermonibus de Quadragesima. Cassianus Collat. 21. Leo Pontifex in sermonibus, item de Quadragesima. Petrus Chrysologus, in sermonibus de Quadragesima. Gregorius Magnus, hom. 16. in Evangelia. Isidorus lib. 1. de officiis divinis, cap. 36. Rabanus lib. II. de Institut. clericorum. Amalarius lib. 1. de officiis ecclesiasticis. Rupertus lib. IV. de officiis divinis. Bernardus in serm. de Quadragesima.

Ex hac autem tanta nube testium, qui omnes Quadragesimæ, ut rei sacræ et celeberrimæ, faciunt mentionem, mirum est, si non opprimatur impudentia Hæreticorum, et præsertim Calvini, qui in lib. IV. Instit. cap. 12. §. 20. dicere ausus est: « Jam invaluerat superstitiosa Quadragesimæ observatio ». Quomodo enim superstitiosa observatio dici potest, quæ ab Apostolis per doctrinam Spiritus sancti instituta, omnibus sæculis post Apostolica tempora succedentibus, ab omni-

bus Conciliis, omnibusque Patribus græcis et latinis celebrata est?

Adde quod non desunt insignes Patres, qui ab ipso Domino indictam Quadragesimam fuisse docent. Sic enim loquuntur, Ambrosius sermon. 25. Hieronymus in cap. LVIII. Isaïæ, et c. III. Jonæ. Augustinus in Psalmo cx. Et Leo sermon. 12. de Quadragesima. Quamvis enim Ambrosius, Hieronymus et Augustinus intelligant, Quadragesimam a Domino indictam, non verbo, sed exemplo, et Leo divinitus institutam esse dicat, quoniam Apostoli, non ex proprio capite, sed ex inspiratione Dei illam instituerunt: tamen hoc ipsum, quod Christus exemplo suo, et Spiritus sanctus unctione sua Quadragesimam instituerit, apertissime docet, plane blasphemum et sacrilegum esse Calvinum, qui superstiosam Quadragesimæ observationem vocare non dubitavit.

Sed objicit Kemnitius testimonium sancti Augustini, ex epist. 86. ad Casulanum: « Ego in Evangelicis et Apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum ». Sed facilis est responsio. Loquitur enim S. Augustinus de præcepto Domini, vel Apostolorum scripto in divinis libris. Fatemur autem nullum ejusmodi in divinis libris exstare præceptum. Et ideo non præcepto scripto, sed traditione non scripta defendimus Quadragesimam ab Apostolis institutam. Esse autem hanc vere Apostolicam traditionem, probavimus paulo ante per illam ipsam regulam, quam nobis ad traditiones Apostolorum internoscendas, idem ipse S. Augustinus reliquit.

CAPUT XV.

De Quadragesimæ varietate.

Admiranda plane fuisse videtur, apud veteres in Quadragesima observanda varietas. Nam S. Irenæus apud Eusebium, lib. v. cap. 25. scribit, alios uno die, alios duobus, alios pluribus, alios quadraginta diebus Paschale definivisse jejunium.

Sanctus Basilius orat. 2. de jejunio, indicit publice Quadragesimam, et tamen dies tantum quinque, non autem quadraginta jejunandos esse monet. Quod diligenter notari ju-

bet Kemnitius in 4. part. examinis, pag. 630.

Sanctus Ambrosius sermon. 34. dicit, suo tempore aliquos non Quadragesimam, sed Quinquagesimam jejunare solitos; alios contra vix Trigesimam, aut Vigestimam, cum alternis tantum hebdomadis in Quadragesima jejunarent.

Joannes Cassianus, Collat. 21. c. 27. scribit, alios jejunare sex hebdomadas, alios vero septem.

Socrates lib. v. histor. cap. 21. dicit, Romanos jejunare solitos tres tantum hebdomadas ante Pascha, Dominicis et Sabbatis non supputatis. Græcos, Illyricos et Alexandrinos sex hebdomadas. Alios quosdam septem hebdomadas, sed intervallo posito post quintum decimum quemque diem. Quem locum non solum Kemnitius in Examine, sed etiam Calvinus in Institut. lib. IV. cap. 12. observari jubet.

Sanctus Leo sermon. 4. de Quadragesima indicat, suo tempore solum quatuor dies per hebdomadam jejunari consuevisse in Quadragesima. Sic enim loquitur indicens jejunium Quadragesimæ: « Igitur feria secunda, feria quarta, et feria sexta jejunemus: sabbato autem apud sanctum Petrum vigiliis celebremus ». Dixi autem quatuor dies, quia sabbato cum vigilia semper jejunium jungebatur.

Cæterum hæc tanta diversitas non difficile tolli potest. Vere enim in Ecclesia catholica omnibus sæculis, tum apud græcos, tum apud latinos jejunium paschale fuit dierum quadraginta, aut fere quadraginta, id est, triginta sex. Id vero perspicuum est primo, quoniam omnia Concilia, et Patres supra citati utuntur nomine Quadragesimæ, cum jejunium paschale commendant. Per Quadragesimam autem non potest intelligi nisi numerus quadragenarius, aut prope quadragenarius. Quis enim Quadragesimam vocaret jejunium dierum quindecim, aut viginti.

Secundo, multi Patres dicunt, jejunari Quadragesimam ad exemplum Christi, Mosis et Eliæ, id enim habet sanctus Basilius orat. in 40. Martyres, sanctus Hieronymus in cap. LVIII. Isaïæ, sanctus Augustinus in epist. 119. ad Januarium, et alii. At Christus, Moses et Elias quadraginta dies jejunarunt.

Tertio, S. Ambrosius sermon. 23. S. Gregorius homil. 16. et Cassianus Collat. 21. cap. 27. scribunt, Quadragesimam continere quadraginta duos dies, et detractis Dominicis in

quibus non jejunatur, remanere dies jejunii triginta sex.

Quarto, S. Augustinus in epist. 119. cap. 17. S. Leo, sermon. 4. de Quadragesima, et Petrus Chrysologus, sermon. 11. disertis verbis tradunt, jejunium quod ante Pascha celebratur, esse quadraginta dierum.

Sed hæc omnia clariosa efficientur ex discussione eorum, quæ contra objiciebantur. Nam ad locum productum ex Irenæo jam respondimus capite superiore, non loqui Irenæum de varietate dierum Quadragesimæ: sed de varietate continuandi jejunium sine omni cibo in ipsa Quadragesima, id est, an tempore Quadragesimæ cibus sumendus esset semel in die, aut semel post biduum, aut triduum etc.

Ad locum sancti Basilius respondeo, loqui sanctum Basilius de jejunio singularum hebdomadarum Quadragesimæ, ac numerare solum quinque dies, quoniam Græci die sabbathi et die Dominico non jejunant. Hortatur enim sanctus Basilius populum ad jejunium Quadragesimæ alacriter amplectendum; atque inter alia argumenta, quibus probat, non esse difficilem Quadragesimæ observationem, adducit illud, quod numerus dierum, quibus continenter jejunandum est, non sit nisi quinquarius; quinquario enim exacto succedere biduum, quibus jejunii severitas relaxetur. Itaque annotatio Kemnitii ex imperitia nata est.

Ad locum S. Ambrosii respondeo: Qui jejunare volebant Quinquagesimam pro Quadragesima, eos voluisse secundum ritum Græcorum non jejunare die sabbati. Sic enim detractis sabbatis, et addita una hebdomada, redit numerus dierum, quibus jejunatur, omnino idem cum eo, qui resultat dempta una hebdomada, et sabbatis inclusis. Cæterum hic mos, quamvis in numero dierum cum nostro conveniat, tamen non placuit Ecclesiis Latinis; et ideo Concilium Agathense can. 8. Aurelianense I. can. 11. et Aurelianense IV. can. 2. mandat, ut omnes jejunent sabbata Quadragesimæ, et veram Quadragesimam, non Quinquagesimam celebrent.

Hæc est igitur Quinquagesima, quam S. Ambrosius reprehendit, sive quicumque est auctor illius sermonis. Nam certe vix fieri potest, ut auctor sit Ambrosius, cum ejus tempore Mediolani servaretur usus Græcorum de sabbato non jejunando. Sic enim loquitur S. Ambrosius, in lib. de Elia et je-

junio cap. 10. « Quadragesima totis, præter sabbatum et Dominicum, jejunatur diebus ».

Porro illi, qui apud eundem auctorem jejunabant alternis septimanis, forte addebant ad numerum hebdomadarum, ut etiam ipsi complerent eundem numerum dierum jejunii quadragesimalis. Sed sive id fecerint, sive non fecerint, parum refert, quoniam hi non legem aliquam ecclesiasticam, sed cupiditatem et intemperantiam suam habebant pro lege, et propterea ab auctore illo gravissime castigantur.

Ad locum Cassiani facilis est responsio. Ipse enim fatetur, nullam esse discrepantiam in numero dierum. Quidam enim, id est, Latini jejunabant sex hebdomadas, quia solum Dominicis dies non jejunabant: quidam, id est, Græci jejunabant septem hebdomadas, quia non solum Dominicis dies, sed etiam abbata non jejunabant, excepto sabbato sancto. Sicut enim in sex hebdomadis triginta sex dies jejuniorum inveniuntur, demptis Dominicis: ita quoque in septem hebdomadis triginta sex dies jejuniorum inveniuntur, detractis sabbatis et Dominicis, excepto sabbato sancto.

Ad locum Socratis dico primo, Socratem non multum fidei mereri, cum et Novatianus et Aerianus fuerit. Cupiebat enim (ut ipse aperte in hoc ipso loco indicat) festa et jejunia omnino esse libera. Deinde, aut manifeste falsa scribit, aut codicem ejus corruptum habemus. Scribit enim apud Romanos non jejunari nisi tribus hebdomadibus ante Pascha, detractis sabbatis et Dominicis. At Romæ potissimum jejunabatur sabbato, non solum in Quadragesima, sed etiam per totum annum, ut S. Augustinus docet in epistol. 86. ad Casulanum. Immo ipsi Græci in canon. 55. eorum, qui sextæ Synodo tribuuntur, Romanos reprehendunt, quod sabbato in Quadragesima jejunent.

Itaque exploratus est error Socratis, quod Romani sabbata excipiant a jejunio Quadragesimæ. Nec minus exploratus est error, quod non jejunent, nisi tres hebdomadas. Nam Cassianus, qui vixit eodem tempore quo Socrates, scribit, Latinos jejunare sex hebdomadas. Et sanctus Leo, qui fuit Episcopus Romanus tempore Socratis, in sermon. 5. de Quadragesima dicit, Romæ jejunium ante Pascha esse omnino quadraginta dierum.

Sed probabile est, codicem Socratis esse